

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes
aliquot**

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Regula X. Qua eas dem habent proprietates, eandem habent essentiam

urn:nbn:de:bsz:31-102400

differat, nempe non secundum se totam, sed ratione diversarum partium.

X. Notandum autem, nos in dubiis ultimis Conclusionibus, sicut & in aliis, (ut quando diximus, duo accidentia solo numero differentia non posse esse in eodem subiecto,) locutos esse de eo, quod naturaliter fieri potest. An per potentiam Dei absolutam contrarium possit accidere, iam non dispicimus.

REGULA X.

Quæ easdem habent proprietates, eandem habent essentiam.

I. Diximus in proposito hujus Disputationis, nos accidentia accipere, ut & proprium comprehendit. Non igitur abs re fuerit, si unum, atque alterum de proprio axioma proposuerimus. Est autem ratio praesentis axiomatis ea, quod proprietates fluunt ab essentiâ, vel secundum rem idem sunt cum essentiâ, & cum eâ cunctam controvèrsiam reciprocantur.

II. Abutuntur eò Calviniani contra Lutheranos, quando sic argumentantur:

Quæcunque habent eadem proprietates, illæ habent eandem etiam essentiam.

Sed si in Christo proprietates divina natura sunt communicare humano natura, duæ illæ naturæ habebunt eadem proprietates.

E.

E. si proprietates divine naturæ sunt communicatae humanæ, ille duc naturæ eandem habebunt essentiam, quod est Euthy-

chianum.

III. Resp. Negando minorem, quia aliud est, aliquid alicui reverâ competere, & de eo reverâ predicari; aliud, aliquid alicujus esse proprietatem. Vel aliud est, aliquid habere aliquid, aliud, aliquid habere aliquid, tanquam proprietatem. Quod divinæ naturæ proprietates communicatae sunt humanæ naturæ, per hoc humana natura habet eas proprietates, h.e. proprietates divinæ ipsi reverâ competunt, & de eâ prædicantur, sed per hoc non sunt humanæ naturæ proprietates. Et ratio est, quia proprium sive proprietas ei, cuius est proprietas, competit per se. At divinæ naturæ proprietates non competit humanæ per se, sed per aliud, nempe per divinam naturam τὸ λόγον cui est unita, & prædicantur de eâ non per modum quarti, sed quinti prædicabilis.

IV. Dicis : Humana natura habet proprietates divinæ naturæ. E. Divina & humana natura habent easdem proprietates.

V. Resp. Negando consequentiam, quia ad veritatem antecedentis sufficit, quod proprietates divinæ reverâ competant humanæ naturæ, & de eâ reverâ prædicentur. At consequens id importat, quod proprietates divinæ naturæ sint proprietates humanæ naturæ. Si quis hoc modo argumēta-

retur: *Homo habet proprietates animalis. E homo & animal habent easdem proprietates; negarem consequentiam, & puto satis perspicui antecedens verum, consequens esse falsum.* Et si enim homo habeat proprietates animalis, quod negari non potest, non tamen eadē sunt proprietates hominis & animalis, quoniam proprietates animalis etiam insunt brutis, quibus proprietates hominis non competunt. Quod si non sunt eadē proprietates hominis & animalis, E. homo & animal non habent easdem proprietates.

VI. Quod si quis Majorem propositionem & Regulam nostram ita limitare velit: *Quae habent eadem proprietates tanquam proprietates, id est, ira, ut sint utriusque eorum proprietates, illae eandem habent essentiam,* (quō quidem modo minor falsa est, sicut ex dictis constat) non repugnabimus.

REGULA XI.

Equivoca non habent proprietates.

I. Ratio est, quia proprietates presupponunt essentiam, eamque indivisibili nexu sequuntur. Quæcunque ergo non habent essentiam, nec proprietates habent. Sed æquivoca non habent essentiam. E. nec proprietas. Minor patet ex naturâ æquivocorum, quoniam nimirum non habent unam essentiam, quemadmodum animal quoddam & sidus, ut significantur nomine leonis, unum

ellen.